MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-27

AUTHOR:

WISSOWA, GEORG

TITLE:

DE DIS ROMANORUM INDIGETIBUS...

PLACE:

MARPURGI

DATE:

[1893]

Master Negative #

91-80313-27

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Wissowa, Georg, 1859-1931.
... De dis Romanorum indigetibus et novensidibus disputatio. Marpvrgi, Friedrich, [1893]
13 p. 28½ cm.

Programme. Marburg.

Volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14½
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-29-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches



Rom... ...ent...

Herrn Koll. Partsch
mit herzlichem Dank und Gruss
d. Vf.

No. 6

INDICES

LECTIONVM

ET

PVBLICARVM ET PRIVATARVM

QVAE IN

ACADEMIA MARPVRGENSI

PER

SEMESTRE HIBERNVM

INDE A D. XV. M. OCTOBRIS MDCCCXCII VSQVE AD D. XV. M. MARTII MDCCCXCIII

HABENDAE PROPONVNTVR.

Praemissa est Georgii Wissowa P. P. O. *De dis Romanorum indigetibus et novensidibus disputatio.*

MARPVRGI.
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

1892/93

ACADEMIAE MARPVRGENSIS

RECTOR CVM SENATV

COMMILITONIBVS DILECTISSIMIS

S. P. D.

Inter iuris Romanorum pontificii vocabula obsoleta, in quorum interpretatione inde a L. Aelii Stilonis et M. Terentii Varronis temporibus vario successu desudaverunt philologi et Romani et nostrates, indigetum et novensidum deorum nomina olim celeberrima iam exeunte liberae reipublicae aetate tanta oblivione obruta erant, ut in diversissimas partes discederent virorum doctorum sententiae omniaque in coniecturis ponerentur plerumque ineptissimis. quo factum est, ut recentiorum quoque, qui veterum grammaticorum *αὐτοσχεδιάσματα* recensere et propriis inventis augere quam sincera testimonia rimari maluerunt, plerique non solum de significatione nominum deorumque indole ad certum iudicium pervenire nequirent, sed etiam ignorarent quanti momenti in pristina Romanorum religione hoc indigetum novensidumque deorum discrimen fuerit. quamquam igitur minime defuerunt, qui in hac quaestione singula recte perspicerent, tamen non superfluum visum est totam materiam ita retractare, ut quomodo haec nomina cum universa religionis Romanae historia vetustiore coniuncta sint omnibus pateret.

I

Indigetes novensidesque di qui fuerint quaerentibus inde videtur proficiscendum esse, quod apud optimos testes, hoc est in titulis dedicatoriis, in formulis sacris, apud grammaticos poetasque scientia religionis Romanae insignes, numquam nude ponuntur *Indigetes* aut *Novensides*, sed semper *di indigetes*, *di novensides*[1]). unde in tanta sermonis Romanorum pontificii constantia hoc pro certo sequitur, haec vocabula non fungi propriorum nominum vice nec significare certas deorum quasi personas aut binas aut plures, veluti Castores Lares Camenae Lymphae, sed comparanda esse cum deorum penatium,

---

1) Ad irritum caderent quae dixi, si re vera quam de Indigetibus habuit oratio M. Porcii Catonis (Fest. p. 339) ad hos deos Romanorum patrios spectasset. at cum iure mirati sint viri docti (cf. H. Meyer, Orat. Rom. fragm. p. 145), quid Catoni de indigetum deorum cultu dicendum fuerit, neque in unico quod exstat huius orationis fragmento religionis mentio fiat, semel monuisse sufficiet non de dis indigetibus Catonem verba fecisse, sed de Indigetibus Hispaniae populo (Sallust. epist. Pomp. 5. Plin. n. h. III 21. Avien. ora mar. 523) circa Emporiarum oppidum conlocato (Strab. III 160), qua inregione anno u. c. 559 Catonem consulem dimicasse scimus (Liv. XXXIV 9 sqq. al.).

deorum manium, deorum agrestium, deorum consentium sim. nominibus, quibus e more suo Romani singula deorum genera uno vocabulo complecti solebant. porro addi potest deorum indigetum et novensidum distinctionem non fuisse Romanis propriam, sed latius patuisse per religiones populorum Italiae. nam indigetes deos apud Praenestinos quoque fuisse auctor est Servius ad Aen. VII 678 eiusdemque religionis testimonium ex agro Arpinati prodiit titulus a. u. c. 750 conceptus, quo sacerdotes duo se aediculam et basem et aedem et porticum dedicasse aiunt Iovi AERIS (de lectione non plane constat) et dis indigetibus (CIL X 5779), novensides autem deos et Marsi venerati sunt testante titulo Marruvii reperto (Zvetaieff, Inscr. Ital med. dial. n. 37; cf. Mommsen CIL IX p. 349) et Umbri Pisaurenses, apud quos cippus exstat DEIV · NOVE · SEDE inscriptus (CIL I 178), hoc est *deiv(is) nove(n)sid(is)*, non vero — quod et Corsseno (in A. Kuhnii annal. lingu. compar. IX p. 160 sqq.) et Jordano (Herm. XV 11) placuit — *deiv(ae) nove(n)sidi*; singulariter enim novenses sive deus sive dea non magis dici potest, quam deus penas aut deus manus sive manis.

Iam ad derivationem utriusque nominis ut veniamus, indigetum vocabulum aut ab indigendo duxerunt grammatici veteres aut ab indigitando aut ab in dis agendo aut denique idem significare dixerunt quod indigenas, hisque usi veriloquiis indigetum nomen modo omnibus dis tribuerunt, quod nullius rei indigeant aut quia invocentur hoc est indigitentur ab hominibus, modo semideis, qui indigeant divinitate aut qui in dis agant, modo denique dis patriis (vide placitorum veterum conlectionem apud Serv. Aen. XII 794. Georg. I 498). e quibus veriloquiis illud, quo ab indigendo indigetes dictos esse docebatur, P. Nigidii Figuli viri perverse docti auctoritate firmatum (Schol. Bern. Verg. Georg. I 498), ut veterum multorum plausum tulit, ita et sermonis et rationis legibus non minus excluditur quam alterum, quo quasi in dis agentes dicti esse finguntur. recentiores ergo duas quae restant veterum sententias secuti aut cum indigitandi verbo et indigitamentis coniunxerunt indigetes deos aut indigenas esse censuerunt. nec vero quicquam scio, quod magis iustae indigetum deorum interpretationi nocuerit, quam quod plerique viri docti indigitationes indigitamentaque ab indigetibus procul habere noluerunt, sive cum Corsseno (de Volsc. lingua p. 18; *Krit. Nachtraege* p. 254) *indiget-* participium passivum esse dicebant verbi alicuuis deperditi **indigĕre*, cuius frequentativum esset *indigitare*, sive *indigetem* deum *indu agentem* putabant, hoc est in singulis actionibus rebus locis praesentem, indigitareque nihil aliud esse arbitrabantur nisi indigetem facere atque creare. cuius alterius sententiae nuper doctus defensor exstitit Rudolfus Peter, qui Ambroschii Reifferscheidiique vestigia legens de indigetibus indigitamentisque copiosam fructuosamque disputationem inseruit W. H. Roscheri lexico mythologico II p. 129—233. at mihi non persuasit vir amicissimus et felici industria de his studiis optime meritus verum esse quod a plerisque creditur, deos illos minutos ac proprios, quos singulis vitae actibus praeesse Romani arbitrabantur et usque ad ineptias religiosi in pangendis nuptiis, in educandis infantibus, in agro colendo advocasse dicuntur, indigetes vocandos esse indigitamentaque illa, quae saepius commemorantur, horum deorum indices interpretationesque continuisse. nam qui soli fere accuratiorem horum deorum minutorum notitiam e Varrone haustam

nobis suppeditant, Tertullianus et Augustinus, nullam faciunt indigitamentorum mentionem, ubi vero indigitandi verbum ab antiquis scriptoribus usurpatur, de diversissimis dis agitur, non de illis solum, qui singulos vitae actus tutari credebantur. nam indigitandi indigitamentorumque vocabula, ut a grammaticis nihil aliud significare dicuntur nisi imprecari aut incantamenta[1]), ita aut in universum de precatione adhibentur[2]) aut de cuiuslibet dei invocatione: nam inter sex, quos computo, locos duos invenio, ubi de Apollinis indigitatione agitur (Macr. S. I 17, 15. Arnob. II 73), singulos, quibus Bona dea (Macr. S. I 12, 21), Tiberinus (Serv. Aen. VIII 330), Genius (Censor. 3, 2), Numeria (Varro apud Non. p. 352) cum indigitamentorum mentione coniunguntur; ex his autem sola Numeria ad numina illa specialia, ut verbo utar, pertinet. neque ullum video indicium, quo probetur indigitamenta aliud quicquam significasse atque precationum formulas, quibus omnes di et magni illi ac sempiterni et minuti isti ac proprii invocari solebant; nam neque Servius (Georg. I 21) neque Censorinus (3, 4), cum eos, qui de dis arva tuentibus aut de dis hominum vitam pro portione adminiculantibus plura scire cupiant, ad indigitamentorum libros relegant, hos nil nisi id genus numina complexos esse testantur. immo inde quod 'doctorum litterae' ab Arnobio (II 73) adlegatae Apollinis nomen ab indigitamentis Numae regis abesse adnotabant indeque huius dei religionem Romanam recentiorem esse conligebant, pro certo sequitur, e virorum doctorum sententia indigitamenta omnes deos, qui quidem tum colebantur, comprehendisse nec diversa fuisse a 'comprecationibus deorum immortalium', quas e pontificum libris advocat Gellius XIII 23, 1.

Sed vereor ne longus fuerim in re aperta nec profecto tam ubertim omnia exposuissem, nisi postulare visa esset eorum virorum, qui falsae sententiae se addixerunt, auctoritas. discisso igitur quod indigetes cum indigitamentis coniungere credebatur vinculo[3]), de indigetibus quaerentibus indigitamenta et indigitationem missa facimus hoc breviter adnotantes, his vocibus bene convenire originationem Corssenianam, qui verbum **ind-igĕre* a radice *agh* derivat in *ad-agium*, *aio* (h. e. *agio*), *axamenta* (*ag-sa-menta*) perspicua (vide quae composuit A. Vaniček *Etymol. Wörterb. d. lat. Sprache* p. 9). indigetum vero vocabulum unde proveniat dudum recte vidit Leo Meyer (*Vgl. Gramm.* II 320; cf. Kuhnii annal. lingu. comp. XIV 82), quem iure secuti sunt Guilelmus Clemm (in G. Curtii stud. VIII 12), Franciscus Buecheler (*Grundr. d. lat. Declin.* p. 12), alii: derivatur enim vox a praepositione *endo, indu* et a radice *ge(n)*, ita ut indigetes idem sint atque *ἐνδογενεῖς*, hoc est *ἐπιχώριοι, αὐτόχθονες*. neque abhorret ab hoc veriloquio ipse vocabuli usus apud poetas Romanos haud infrequens, qui patrios deos indigetes coniungere solent cum mentione numinum vetustissimorum urbisque conditorum: sic in fragmento veteris alicuius poetae, ni fallor Ennii, apud Diomedem p. 476, 17 servato

1) Paul. p. 114; similiter Servius cum ad Aen. VIII 330 Tiberinum a pontificibus indigitari dixerit, de eadem re nullo sensus discrimine VIII 31 *in sacris* ait *vocatur*, VIII 72 *invocatur in precibus*.

2) Tertull. de ieiun. 16 (p. 295, 25 Vind.): *precem indigitant, hostiam instaurant.*

3) In margine adnotare iuvabit etiam formas vocabulorum ita diversas esse, ut omnium fere scriptorum codices aut omnes aut optimi pari constantia praebeant et *indigito*, *indigitamenta* et *indigetes*.

Numa Pompilius rex fertur spondeo melo patrios placasse indigetes[1]), Vergilius (Georg. I 498) invocat deos patrios indigetes[2]) et Romulum Vestamque matrem eumque imitatus Ovidius (metam. XV 861 sqq.) deos penates, deos indigetes, Quirinum, Martem, Vestam alios deos, apud Lucanum (I 556) urbis Romae calamitatem fletu portendunt di indigetes, sudore Lares, apud Silium Italicum (X 432 sqq.) Scipio iurat per Iovem Iunonem Minervam indigetesque deos, idemque poeta (IX 287 sqq.) in pugna Cannensi a Romanorum partibus dimicantes facit Martem, Apollinem, Neptunum, Venerem, Vestam, Herculem, Cybelen, indigetes deos, Faunum, Quirinum, Castores. consulto enumeravi omnia, ut pateret, in poetarum sollemni sermone indigetum deorum nomen constanter usurpari pro patriis pristinisque urbis Romae numinibus, nihil vero indicare poetas illos de heroibus sive semideis cogitasse: plerique enim mythologi recentiores cum veterum nonnullorum grammaticorum placita[3]) secuti et graecarum religionum fallaci comparatione decepti indigetes **ἥρωας ἐγχωρίους** esse dicerent, obliti sunt deorum et heroum distinctionem a prisca Romanorum et Italorum religione omnino alienam esse neque semideos in ea agnosci nisi a grammaticis graecissantibus et etymologizantibus, qui v. gr. semones *semi-homines* esse dicerent similesque ineptias confingerent (v. Jordan *Krit. Beitr.* p. 204 sq.). complectitur ergo deorum indigetum nomen deos indigenas omnes neque alia utitur significatione, cum singulis nominibus attributive adponitur: sic ille Lavinatium Iuppiter indiges, cuius cognomen postea in Aeneam cessit, **Ζεὺς** fere **πατρῷος** est, et Sol deus, cuius vetusta in colle Quirinali sacra novimus, Augusti aetate indigetis cognomen accepit[4]), ut probe dinosceretur ab externis dis solaribus, quorum iam tum cultus Romae percrebrescere coeperat et ab ipso imperatore positis deo Soli duobus obeliscis aliquantum adaugebatur.

Expedita iam indigetum deorum interpretatione ad n o v e n s i d e s sive novensiles pergamus. quarum nominis formarum[5]) cum priorem primitivam esse constet, quin altera vocis pars a verbo sedendi derivanda sit extra dubitationem positum est; in priore vero parte explicanda in duas partes discesserunt grammatici et veteres et recentes, alteri a novenario numero deducentes, alteri a novitate. atque novensides nil esse nisi novem deos una considentes (*Neunsassen*) plerique existimant, veterum (quorum placita com-

1) Miror numeros non agnosci a recentioribus, cum sermo sublimior fragmentum poeticum prodat rhythmusque facillime restitui possit sic fere: *spondeo[que] melo patrios placaret | indigetes.* inter Ennianas reliquias versus bene se adplicat ad annalium libri II fragmenta 78 sqq. ed. Baehr.

2) Inter *patrios* et *indigetes* virgulam non esse ponendam docet versus a Diomede citati comparatio; sed falsam distinctionem iam Symmachus novit, qui versus Vergiliani memor ita loquitur (relat. 3, 10 p. 282, 11 Seeck): *ergo diis patriis, diis indigetibus pacem rogamus.*

3) Fuisse qui Graecorum *δαίμονας* latine per vocem *indigetes* redderent e Macrobio (Somn. I 9,7) discimus, ubi versus Hesiodeus (op. 122) *τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς* ita conversus legitur: *indigetes divi fato summi Iovis hi sunt.*

4) Sic accipio quod in fastis Vallensibus Amiterninis Allifanis ad diem VI vel V Id. Aug. adnotatur *Sol(is) indigitis in colle Quirinale sacrificium publicum*; vulgo Solem indigitem pro Sole indice habent Graecorum Herculem *μηνυτὴν* comparantes.

5) De his formis vide Mar. Victorin. p. 26, 1; cf. Jordan *Krit. Beitr.* p. 45. E. Seelmann *Aussprache des Latein* p. 310.

posuit Arnobius III 38) C. Calpurnius Piso, L. Aelius Stilo, L. Manilius, Granius Flaccus, M. Terentius Varro, recentiorum Theodorus Mommsen (*Unterital. Dial.* p. 342), Guilelmus Corssen (in Kuhnii annal. IX 160 sqq.), Guilelmus Deecke (Etrusk. Forsch. IV p. 17 adn. 11), Henricus Jordan (ad Prelleri myth. Rom. I p. 102 adn. 2). qualis vero haec novem deorum societas esset quoniam ignorabatur, cum omnibus qui in vicinorum populorum religionibus occurrebant dis novenis novensides comparaverunt, alii, ut Aelius Stilo et Granius Flaccus, ad Graecos respicientes et novensides Musas esse dicentes, alii ab Etruscis aut Sabinis derivantes; Piso enim, quem et Varro (de l. l. V 74) sequi videtur et Henricus Nissen (*Pomp. Stud.* p. 335), ad nescio quos novem deos apud Trebiam (aut Treblam) Sabinorum constitutos provocavit, Manilius autem e Tuscorum doctrina fulgurali arcessivit novem deos, quibus Iuppiter fulminis sui iaciendi potestatem concedere credebatur (cf. Plin. n. h. II 138). quae omnia in solam numeri novenarii, quem vocabuli conformatio indicare videbatur, explicationem excogitata esse patet. sed vide quomodo illud nominis veriloquium claudicet: comparari enim solent voces quales sunt *praeses, reses, deses*; at est praeses qui praesidet, reses qui residet, deses qui desidet, *novem-ses* vero quomodo is dici possit, qui unus ex novem adsessoribus in consilio sedet, ego me non intellegere fateor. a novitate autem novensides derivandos esse, quod inter veteres et L. Cincio et Cornificio placuit, ideo recentiores accipere noluerunt, quia in hac originatione media vocis syllaba *no**ven**sides* explicatione carere neque unde nasalis provenerit perspici videbatur, ita ut Franciscus Buecheler (Lexic. Ital. p. XVIII. XXV) huius veriloquii defensor Romanos formam *di **nove** sede* in Umbris Marsisque occurrentem tam vocum similitudine quam sacrorum patriorum incuria deceptos in *di novensides* corrupisse diceret. sed omnia expedivit Michaelis Bréal Francogalli acumen (*Les tables Eugubines* p. 188), qui *novenses* intellegit *nov-enses*, hoc est qui nuper insedit, rediitque ad L. Cincii explicationem novensidum nomine numina peregrina Romam recepta novitate ex ipsa appellata esse pronuntiantis (Arnob. III 38).

Hanc interpretationem unice veram esse sequitur ex intima novensidum deorum cum indigetibus coniunctione, quam praeter Joachimum Marquardt[1]) plerosque viros doctos fugisse iure mireris: intercedit enim inter indigetes novensidesque deos ea ratio, ut haec deorum consortia invicem sese excludant, coniuncta vero universum deorum a Romanis publice cultorum orbem amplectantur. cuius rei luculentissimum testimonium est carmen precationis, quo Livius (VIII 9, 6) in pugna ad Vesuvium montem commissa P. Decium pro salute et victoria Romanorum sese devovisse auctor est: *Iane, Iuppiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, divi novensiles, di indigetes, divi quorum est potestas nostrorum hostiumque, diique manes.* qua in formula quamvis singula aut ipse Livius aut is quem adhibuit auctor neglegentia aut mutasse aut omisisse videatur[2]),

1) *Röm. Staatsverw.* III p. 36 sq. eandem sententiam se amplecti in transcursu breviter adnotaverunt Th. Mommsen *Histor. Zeitschr. N. F.* XXVIII 405, I. N. Madvig *Verf. und Verw. d. röm. Staat.* II 588**, P. D. Chantepie de la Saussaye *Religionsgesch.* II 202.

2) Sic indigetum novensidumque deorum ordinem invertit et, ni omnia fallunt, ante deos manes Telluris mentionem omisit; nam cum Telluri et dis manibus Decium sese devovere finis precationis (§ 8; cf. VIII 6, 10. X 28, 13) demonstret, eadem numina etiam in fronte carminis nominanda erant.

tamen totum carmen ad sincerum fontem, libros videlicet pontificios, redire ipsa eius indoles testatur: deos summos priscae religionis Iovem Martem Quirinum praecedit Ianus, cui in omnibus sacrificiis prima nominatio debetur, sequuntur numina bellica Bellona et Lares (scilicet militares), deinde post specialem invocationem sequitur generalis, quam ritus Romanus poscebat, ita instituta, ut nominentur et di populi Romani omnes sive patrii sivi recepticii et numina universa sive Romana sive hostilia; agmen claudunt ii di, quibus ipsum votum fit, Tellus dique manes. alteram cognatae indolis formulam primus huc adlegavit Ludovicus Preller, qui tamen dimidium tantum veri vidit. in Diodori scilicet excerptis Vaticanis (XXXVII 11 Dind. = XXXVII 17 Bekk.) cum falsa inscriptione *ὅρκος Φιλίππου* iurisiurandi formula traditur, quo Italici M. Livio Druso sese obstrinxisse ferebantur, ab his verbis incipiens: *ὄμνυμι τὸν Δία τὸν Καπετώλιον καὶ τὴν Ἑστίαν τῆς Ῥώμης καὶ τὸν πατρῷον αὐτῆς Ἄρην καὶ τὸν γενάρχην Ἐνυάλιον* (sic codicis lectionem *Ἥλιον* egregie emendavit Prellerus) *καὶ τὴν εὐεργέτιν ζῴων τε καὶ φυτῶν Γῆν, ἔτι δὲ τοὺς κτίστας γεγενημένους τῆς Ῥώμης ἡμιθέους καὶ τοὺς συναυξήσαντας τὴν ἡγεμονίαν αὐτῆς ἥρωας*. hic quoque probe discernuntur invocationes et specialis et generalis, altera Iovem O. M., Vestam p. R. Quiritium, Martem patrem, Quirinum patrem, Tellurem matrem complexa, altera duo deorum genera [1]) indicans, quorum alterum Prellerus (myth. Rom. I 93) aut Lares praestites p. R. esse censuit aut deos penates publicos, alterum deos indigetes; sed neglexit vir doctus inter se opponi *τοὺς κτίστας* et *τοὺς συναυξήσαντας* ita, ut alteri dicantur urbem condidisse et inde ab initio rexisse, alteri non primordiis sed incrementis tantum imperii praefuisse, cui distinctioni sola deorum indigetum (*κτιστῶν*) et novensidum (*συναυξησάντων*) nomina conveniunt, a graeco scriptore secundum consuetudinem supra (p. VI) memoratam in *ἡμιθέων* et *ἡρώων* numero conlocata.

Tertium per coniecturam addo testimonium serioris scriptoris ab interpretibus nostratibus multum vexatum. Tertullianus ad nat. II 9 (p. 111, 13) varias deorum Romanorum distinctiones et genera carpens ad communium et propriorum deorum discrimen inlustrandum hoc adfert, eodem fere sensu etiam publicos et adventicios discerni, quod arae doceant adventiciorum ad fanum Carnae, publicorum in Palatio. quae verba vix credibile est vel Ambroschium (*Stud. u. Andeut.* p. 165. 190), quem sequitur v. gr. O. Gilbert (*Gesch. u. Topogr. d. Stadt Rom* II p. 43), ita accepisse, quasi omnium deorum publicorum religio in Palatino monte, adventiciorum omnium in Caelio — ibi enim Carnae

1) Duo deorum genera distingui iteratus articulus *τοὺς* docet; errat igitur Mommsenus *Röm. Staatsr.* II p. 783 adn. 4 haec dicens: *Für die ältere Eidesformel ist auch die der Italiker bei Diodor Vat. p. 128 zu vergleichen, wo die als ‚Gründer und Mehrer Roms' bezeichneten Halbgötter die Penaten sind.* ceterum utrum hoc iusiurandum re vera ab Italicis pronuntiatum sit necne hic non quaeritur; nam etiam si fictum est, eum qui confinxit priscam iurisiurandi Romani formulam adhibuisse constat. non vero persuadet Henricus Nissen (apud E. Marcks *Die Ueberlieferung des Bundesgenossenkrieges* p. 21) inter numina invocata et Romanos et sociorum deos ita distinguens, ut Solem (*Ἥλιον*), Opem (*Γῆν*) et *τοὺς συναυξήσαντας τὴν ἡγεμονίαν αὐτῆς ἥρωας* Italicis tribuat; nam si utriusque, quae sponsionem facit, partis numina invocata essent, non potuisse talem in modum confusim enumerari, sed separatim utrosque ponendos fuisse docet foederis inter Hannibalem Philippumque Macedonem facti (Polyb. VII 9, 2. 3) comparatio, ad quam ipse Nissenus provocat.

sacellum fuisse docet Macr. S. I 12, 31 — constituta fuerit; immo ipsa ratio docet cum Merkelio (Proleg. ad Ovid. fast. p. CXCV) singulas aras intellegendas esse alteram publicis alteram adventiciis dis dedicatam. cum vero publici et adventicii di non recte inter se opponantur — nam adventicii quoque publice coluntur — suspicio oboritur, Tertullianum nomina quaedam obsoleta minus apte interpretari — sicuti Augustinus (de c. d. III 12; cf. II 14. Tertull. apol. 25) idem discrimen indicans *indigenas et alienigenas* dicit — aramque illam, quam in Palatino fuisse ait, dis indigetibus dicatam fuisse, alteram dis novensidibus, qui recte adventicii explicantur: tertia igitur haec novensidum deorum ara Caelimontana accesserit titulis Marsico et Pisaurensi (v. supra p. II).

II

Continetur ergo indigetum et novensidum deorum nominibus *θεῶν αὐτοχθόνων* et *νεοπολιτῶν* discrimen in sacro Romanorum iure non minus memorabile, quam patriciorum plebisque in publico. iam vero altera eaque gravissima se offert quaestio, qui di fuerint indigetes, qui novensides, aut potius quando indigetum deorum numerum tam absolutum atque completum esse Romani censuerint, ut qui postea recipiebantur di, eos pro adscripticiis haberent. nam neque ipsa urbs Roma uno die, ut aiunt, aedificata est neque patriciorum gentes omnes — et ne maiores quidem quae vocabantur omnes — eodem tempore ad Romanam civitatem condendam coierunt neque patria numina, quae semper culta esse posterior aetas credebat, omnia primitus constituta fuisse possunt. immo sicuti ipsa urbs a Palatio paullatim adcrescens vicinos montes Veliam Esquilias Caelium occupavit, donec ad extremum oppidum in Quirinali Viminalique collibus constitutum sibi coniungeret, ita et patriciorum gentes et numina pro patriis culta in dies numerum suum auxisse putanda sunt. sed certo temporis puncto et urbem pomerio ita circumscripserunt, ut quae postea oppido adderentur et vel moenibus clauderentur regiones, quamvis a civibus Romanis habitarentur, extra hos sacros terminos conlocatae manerent, et cives recens receptos, etsi pleno civitatis iure utebantur, non patribus sed plebei adiudicaverunt, et deos novos, quibus in reliquis eadem iura concedebant quae patriis, ea tantum lege receperunt, ut neque proprias ferias eis dedicarent, quales priscis dis tribuerant, neque in eorum servitium sacerdotiorum p. R. publicorum numerum amplificarent: nam et feriarum laterculus et ordo sacerdotum Romanorum usque ad Caesaris Augustique aetatem nullam perpessi sunt aut mutationem aut amplificationem, et quotquot liberae reipublicae temporibus recepti sunt di, eorum ne unus quidem in iis locum invenit. iam vero tabulam feriarum et sacerdotiorum ordinationem constat constituta esse et ante reges exactos, cum neque Iuppiter O. M. neque Diana Aventinensis suas ferias suosve sacerdotes habeant, et post oppidum collinum cum Septimontio coniunctum, quoniam Quirinum deum, cuius religio semper haesit in colle Quirinali, et Quirinalium die festo celebrari et flaminem habere videmus. ergo his terminis ad eandem fere delabimur aetatem, qua et urbs quattuor regionum eo pomerio cincta est, quo usque ad Sullam dictatorem uti perrexerunt, et patricii novis gentibus recipiendis augeri desierunt;

verissime enim Mommsenus monuit (*Röm. Staatsr.* III 32; cf. *röm. Forsch.* I 71 sqq.) post civitatem patriciis cum plebe communicatam novas gentes non iam adscriptas esse. tempus accuratius definire in tantis, quibus prisca rerum Romanarum historia involuta est, tenebris temerarium esset; hoc unum adfirmari potest, omnes eas quas indicavi mutationes institutas esse ante Dianam Aventinensem conditam, ante moenia urbis exstructa, ante instituta comitia centuriata, hoc est, ut annalium sermone utamur, ante Servii Tullii regis, ad quem haec omnia referri solent, aetatem.

Indigetum ergo deorum laterculum etsi non plenum tamen satis amplum e feriarum anni Romani tabula ita resarcinare licet, ut indici olim a Th. Mommseno CIL I p. 375 composito [1]) addamus et eos deos, quorum ferias nullas novimus, sed sacerdotes (flamines) fuisse scimus (veluti Falacris, Florae, Pomonae) et eos, quorum feriae vetustae, quia non statae erant sed conceptivae, in fastis non perscribuntur (ut Compitalia Laribus celebrata), denique minores illos, qui propriis feriis carentes tamen cum aliis dis priscis ita coniuncti sunt, ut quasi participes putandi sint feriarum illis datarum: huc pertinent et deae singulis dis consociatae, quales Gellius XIII 23 e pontificum libris enumerat, Lua Saturni, Salacia Neptuni, Hora Quirini, Maia Volcani, Nerio Martis, et famuli famulaeque divini, ut Moles Martis, Virites Quirini, alii. novensidum vero deorum paene infinita est multitudo, cum complectatur omnia quotquot inde a Servii Tullii regno civitatem Romanam adepta sunt numina, Dianam ac Venerem, Herculem et Vortumnum, Fortunam et Pudicitiam, alios innumeros, qui publica religione non minus coluntur quam di indigetes, sed et feriis carent nec flaminum servitio utuntur. quorum nomina omnia congerere et difficile est et ab huius disputationis consilio alienum; sed quae fuerint deorum novensidum genera quaerendum erit, cum ne hos quidem omnes eodem iure usos esse constet. ac primum quidem discernuntur inter se di ex aliarum civitatum religionibus recepti et numina a Romanis ipsis inventa et conficta: vetantur enim cives *in publico sacrove loco novo aut externo ritu sacrificare* (Liv. XXV 1, 12), eandemque distinctionem secutus Cicero vel in sacris privatis hoc sancit, ne quis deos habeat *neve novos neve advenas nisi publice adscitos,* quia *suos deos aut novos aut alienigenas colere* confusionem habeat religionum (de leg. II § 19. 25); neque aliter Claudiani poetae verba intellegenda videntur (de bell. Gild. 131), qui post flebilem deae Romae orationem ut neminem deorum Romanos non commiserescere significet his utitur verbis: *maerent indigetes et si quos Roma recepit aut dedit ipsa deos,* quae ego aliter interpretari nequeo nisi ut indigetibus opponantur duo novensidum deorum genera, scilicet et advenae et novi. novi autem di intellegendi sunt ei, quos alibi non celebratos proprio motu Romani inter numina recipiebant, nempe virtutum rerumque expetendarum religiones, sicuti Mentis Virtutis Pietatis Fidei Salutis Honoris Victoriae aliarum; haec enim numina grammatici Romani, cum a Graecis numinum in deos heroasque distributionem accipiant, his quasi tertium genus divinum addere solent (Cic. de leg. II 19. 28; de nat. deor. II 61 sq. cf. Plin. n. h. II

1) Addendae videntur Carna et Larenta deae, de quarum feriis Kalendarum et feriarum Iovialium concursu obsoletis dixi in libello academico de feriis anni Romanorum vetustissimi p. XI. XIII.

14 sqq). et re vera multo latius apud Romanos haec deorum series patebat quam alibi originemque duxerat e cognato Romanorum more sacro, singulos deos propriis cognominibus adiectis ita variare, ut diversis aedibus arisve in urbe celebraretur Iuppiter Elicius Feretrius Fulgur Stator, Iuno Curitis Lucina Moneta Sospita Regina, Hercules Custos Musarum Victor, alii permulti. saepe enim non solum peculiari cognomine deum distinguebant, sed etiam ipsam eam dei virtutem, quae cognominis causa fuerat, consecrabant. sic Iuppiter, qui foedera fulmine sancit, in Quirinali colle colitur Dius Fidius, hoc est *Ζεὺς Πίστιος*, cognominatus, in Capitolio vero Iovi summo vicinas aedes ipsa Fides dea occupat; Victori Iovi bello Samnitico a. u. c. 459 aedem vovit Q. Fabius Maximus consul, quae ubi sita fuerit nescimus [1]), in Palatino autem monte sub idem fere tempus et Iovis (Statoris) aedes dedicata est et Victoriae (Liv. X 33, 9. 36, 11): Venerem Sulla venerabatur Felicem, Cn. Pompeius Victricem, sed hic Veneri Victrici adiungens Felicitatem, neque aliter C. Iulius Caesar, qui sub Genetricis titulo Venerem consecrabat, comitem ei addidit Victoriam Veneris Victricis Pompei haud immemor (cf. commentatio mea de Veneris simulacris Romanis p 22). recte igitur novi dicuntur hi di, quippe qui non peregre adsciti sint, sed ex arbitrio dedicantium inventi, probante videlicet senatu — nam aliter civitas nova religione obstringi nequit (Mommsen *Staatsr.* III 1050) — et vocatis in consilium, si res ferebat, pontificibus.

Diversa est sacrorum adventiciorum condicio, de quibus quid pontificium ius statuerit inprimis ex Festi (p. 237) verbis quamvis exilibus neque errore vacuis discimus: *peregrina sacra* inquit *appellantur, quae aut evocatis dis in oppugnandis urbibus Romam sunt conlata* (*conata* cod., emendavit Gothofredus) *aut quae ob quasdam religiones per pacem sunt petita, ut ex Phrygia Matris Magnae, ex Graecia Cereris, Epidauro Aesculapi; quae coluntur eorum more a quibus sunt accepta.* quodsi eo differre ait duo peregrinorum sacrorum genera, quod bello expugnata sint altera, altera per pacem arcessita, principale rei discrimen non adsecutus est: nam exempla a Festo adlata demonstrant alterum genus non continere nisi graecae originis sacra, ad prius igitur referenda erunt quaecumque e Latinorum finitimarumque nationum religionibus Romani adsciverunt. nam non eodem iure Romae usos esse deos e Latinis oppidis arcessitos et numina suadentibus libris Sibyllinis e Graecia accita inde inprimis perspicitur, quod haec et ab reliquis seiuncta decemvirum sacris faciundis curae subiciuntur et intra pomerium coli vetantur [2]), illa promiscue cum Romanorum dis indigetibus quovis urbis loco consecrantur et curantur a pontificibus [3]). ex hac ergo lege extra pomerium conlocatae sunt ad circum maximum aedes Cereris, Mercurii, Florae, ad theatrum Marcelli Apollinis, in insula Aesculapii, in campo ara Ditis. contra intra pomerium et ara maxima Herculis (Tac. ann. XII 24) et

1) Hoc recte monet Aem. Aust, de aedib. sacris p. 12 Nr. 21, cum nunc quoque O. Richter *Topogr.* p. 826 in Palatio aedem conlocare pergat.

2) Quae de dis peregrinis pomerio exclusis post Ambroschium Jordanumque docet Marquardt *Röm. Staatsverw.* III 36 recte ita coercet Th. Mommsen *Histor. Zeitschr. N. F.* XXVIII 405, ut hac lege non significari dicat nisi *die aus dem sprachfremden Auslande übernommenen Gottheiten.*

3) De pontificibus sacrorum municipalium administratoribus cf. Mommsen *Staatsr.* III 579 sq

Castoris aedes; nam quamvis haec graeca sint numina, tamen non ab ipsis Graecis arcessita sunt nec curantibus decemviris sacrorum inspectisque libris fatalibus, sed ex oppidis Latii vicinis, a Tiburtibus Hercules, Castor et Pollux a Tusculanis. recte vero Verrius Flaccus graeca illa sacra per pacem petita esse iudicaverat, hoc est Apollinis Cereris Aesculapii sacra Romana *ἀφιδρύματα* fuisse Cumanorum Ennensium Epidauriorum, iniuria autem Italica numina aliter atque per evocationes oppidis expugnatis Romam conlata esse negaverat, cum dubitari nequeat, quin oppidorum nominis Latini di iam sat antiquis temporibus per commercium Romam translati sint ibique publice recepti. ita praeter Tiburtium Tusculanorumque sacra modo memorata omnia fere Latinarum urbium numina Romae consecrata fuisse scimus, Aricinam Dianam, Ardeatinam Venerem, Praenestinam (et fortasse etiam Antiatem) Fortunam, Lanuvinam Iunonem, quibus accedunt oppidorum Etruscorum di evocati Veientium Iuno Regina, Volsiniensium Vortumnus, Faliscorum Minerva, Capenatium Feronia. sic crescente civitatis Romanae ambitu in dies augebatur deorum novensidum numerus, sed ita, ut ultra Latii veteris et Etruriae meridionalis fines in recipiendis evocandisque oppidorum imperio adiunctorum numinibus non procederent: numquam enim recepti sunt v. gr. Iuppiter Anxur Tarracinensium, Angitia Marsorum, Vacuna Reatinorum alii; quod non inutile videtur monuisse, quia similem in modum in tribuendo iure Caeritum quod vocatur Romanos certos fines non egressos esse observavit Theodorus Mommsen (*Staatsr.* III 575).

III

Restat ut in fine commentationis paucis verbis significem, quomodo indigetum novensidumque deorum discrimen in tantam oblivionem abierit, ut posteriore aevo ab omnibus fere nesciretur. quod ideo factum est, quod inde a secundi belli Punici temporibus numina graeca et latina, patria et peregrina diverso iure sacro uti in summis quidem rebus desierunt. graecarum enim religionum auctoritas iam ante a Romanis saepe arcessita primis belli Hannibalici annis, quibus Romani patriorum deorum tutelae diffisi undique divina auxilia circumspiciebant, ita sese penetravit in cultum Romanum, ut omnia funditus everteret. altero enim huius belli anno (537 u. c.) primum accidit, ut decemviri sacrorum inspectis libris non iam se continerent in graecis numinibus graeco ritu placandis, sed ultra suos fines progressi dis Romanis et Italicis dona darent et graeco ritu sacrificarent, Iovi Iunoni Minervae dis Capitolinis, Iunoni Reginae in Aventino, Iunoni Sospitae Lanuvii, Feroniae, Veneri Ardeae in foro. porro tum primum dei Romani indigetis Saturni feriae vetustae ad graeca exempla ita immutata sunt, ut lectisternium, convivium publicum, *παννυχίς* adderentur aliaeque caerimoniae a prisca Romanorum religione toto caelo aliena[1]). ut igitur hac ratione Romani graecique ritus discrimen tollitur, ita eodem anno etiam lex, quae adhuc graeca templa a pomerio exulare iubebat, perrumpitur votis e praecepto librorum Sibyllinorum in ipso Capitolio Mentis et Veneris

1) Liv. XXII 1, 17 sqq. cf. XXI 62, 7 sqq. Saturnalia, qualia saeculo urbis sexto celebrabantur, graeco ritu facta esse diserte testatur Cato apud Priscianum VIII p. 377.

Erucinae aedibus (cf. Aust, de aedib. sacr. p. 49). eversis igitur omnibus quae deorum patriorum iura contra peregrinorum impetus defenderant munimentis, Romana numina iam vix quicquam praeter prisca nomina e pristina religione servabant penitus in eorum locum sese insinuantibus dis graecis. quod quam maxime inde patefit, quod eodem illo anno urbis 537 decemviris s. f. curantibus lectisternium factum est non ut ante solis dis graecis Romam receptis, sed sub titulis Romanis notae illi graecorum deorum *δωδεκάδι*: pulvinaria enim tum sex sternebantur Iovi ac Iunoni, Neptuno ac Minervae, Marti ac Veneri, Apollini ac Dianae, Vulcano ac Vestae, Mercurio et Cereri (Liv. XXII 10, 9), e quo numero antea soli Apollo Diana Mercurius lectisterniis colebantur. iam ergo disparuerunt quos in pristina religione inter summa numina venerabantur, Ianus, Quirinus, Saturnus, Consus, Ops reliqui nullaque iam patriorum recepticiorumque deorum ratione habita summo loco coluntur duodecim illa numina, quae apud Graecos passim occurrunt Athenisque in ipso foro aram possidebant (cf. Preller-Robert *Griech. Mythol.* I 110 sq.); in huius arae imitationem tum, nisi egregie fallor, Romae in foro imagines auratae conlocatae sunt duodecim deorum, sex mares et feminae totidem (Varro de r. r. I 1, 4; cf. CIL VI 102 et quae ego exposui apud Roscherum lexic. myth. I p. 923), dictique latino nomine di consentes i. e. di in unum coniuncti (*con-sens* cf. *ab-sens*, *prae-sens*): haud aliter enim atque patriciorum plebeique discrimen media fere libera republica ita disparuit, ut sexto urbis saeculo ex utroque ordine commixto nova prodiret nobilitas eorum, qui magistratibus curulibus functi erant, inter numina populi Romani publica in indigetum novensidumque locum successit nova deorum consentium societas non iam Romana sed graeca effecitque ut illorum et iura et nomina obsolescerent.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

GUILELMUS HERRMANN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini ephorus, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes systematicas* in seminario theologico moderari perget die Martis h. VI; 2) *privatim theologiam dogmaticam (partem II.)* docebit quater per hebd. h. VIII.

WOLF GUILELMUS COMES DE BAUDISSIN, theol et phil. Dr., theol. P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *privatim a) librum Geneseos* interpretabitur quater per hebd. h. XI, *b) antiquitates sacras veterum Hebraeorum* enarrabit bis per hebd. diebus Mercurii et Saturni h XII; 2) *publice* seminarii theologici *ad Vetus Testamentum spectantes exercitationes* moderari perget die Lunae h. VI—VIII.

ERNESTUS CHRISTIANUS ACHELIS, theol. Dr. et P. P. O., 1) *privatim a) artem poemenicam et liturgicam* docebit quinquiens h. V—VI pomeridianis, *b) artem paedagogicam* tractabit bis h. XII, *c) catechismum Lutheri* explicabit bis h. IV—V pomeridianis; 2) *publice exercitationes homileticas* die Mercurii h. III—V, *catecheticas* die Veneris h. III—V habebit.

ADOLPHUS IUELICHER, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *privatim a) historiae ecclesiasticae partem alteram* enarrabit quinquiens per hebd. h. IX, *b) Pauli epistulam ad Romanos scriptam* interpretabitur quater per hebdom. h. X; 2) *publice capita XXIII—XXV evangelii secundum Matthaeum inscripti* interpretabitur die Saturni h. X. Collectioni ad artem veterum christianorum pertinenti idem praeerit.

CAROLUS MIRBT, theol. Dr. et P. P. O., ordinis theologiae h. a. decanus, 1) *privatim a) historiam dogmatum* quinquiens per hebd. h. XII, *b) historiam ecclesiae romano-catholicae XIX. saeculi* tradet die Lunae h. VI—VIII; 2) *publice* seminarii theologici *exercitationes historicas* moderari perget Veneris die h. VI—VIII.

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

IOANNES WERNER, theol. Lic. et phil. Dr., 1) *privatim historiae ecclesiasticae partem primam (usque ad a. 600)* enarrabit quinquiens per hebd. h. IX.

BERNHARDUS BESS, theol. Lic., seminarii Philippini maior, *privatim historiam ecclesiasticam Hessorum* enarrabit bis per hebd. diebus Martis et Iovis h. XII.

II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

AUGUSTUS UBBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, Aug. Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice de iure possessionis* disseret die Merc. h. xii; 2) *privatim priorem iuris pandectarum partem, Dernburgio duce*, docebit quinq. per hebd. h. xi, quater h. xii; 3) *privatissime examinatorium de altera iuris pandectarum parte, ius obligationum, ius familiae, ius hereditatum continente, duce Dernburgio* instituet diebus Lunae et Iovis h. vi—viii in seminario iuridico.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, Aug. Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice de iure et iuris fontibus* die Saturni h. xii disseret; 2) *privatim priorem partem pandectarum Dernburgio duce* tractabit quater per hebd. h. xi—i et die Merc. h. xi.

IUSTUS BERNARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., ordinis iureconsultorum h. a. decanus, 1) *publice constitutionum imperii Germanici* in seminario iuridico die Martis h. vi interpretabitur; 2) *privatim* docebit *a*) *ius publicum Germanicum et Borussicum* quinquiens h. xi, *b*) *ius inter gentes* bis h. xii.

CAROLUS DE LILIENTHAL, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice de natura poenarum earumque executione* disseret die Martis h. v; 2) *privatim ius criminale* docebit diebus Mart. Merc. Iov. Ven h. ix; 3) *privatissime* in seminario iuridico *practicum de iure criminali* instituet die Veneris h. vi—viii.

RUDOLPHUS LEONHARD, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *privatissime* et *gratis* tractabit *methodum iurisprudentiae (de libris recentiorum auctorum)* disserens in seminario iuridico die Lunae h. x; 2) *privatim* docebit *a*) *iuris pandectarum alteram partem, quae ad familiam hereditatesque pertinet*, diebus Mart., Merc., Iov., Ven. h. x, *b*) *processsum civilem imperii Germanici* iisdem diebus h. viii, *c*) *ius Borussicum privatum*, si conducere videbitur, horis postea definiendis; 3) *privatissime exercitationes practicas iuris civilis* instituet in seminario iuridico aut die Mercurii h. vi—viii aut die Saturni h. xi—i.

HENRICUS LEHMANN, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice ius litterarum cambialium aliarumque pretiosarum* tradet die Lunae h. x; 2) *privatim a*) *ius Germanicum privatum cum iure feudali, iuris Borussici atque novi codicis Germanici* ratione habita docebit quinquiens h. xi, *b*) *ius mercatorum nec non et maritimum* tractabit diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. x, *c*) *collocutiones de iuris Germanici historia deque iure publico atque ecclesiastico* habebit diebus Lunae et Iovis h. v.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

HERMANNUS REHM, I. U. Dr. et P. P. E., tractabit 1) *publice institutionem et iurisdictionem administrativam* die Lunae h. iv; 2) *privatim a*) *iuris Germanici historiam* diebus Mart., Merc., Iov., Ven. h. ix; *b*) *ius administrativum Germanicum atque Borussicum* docebit diebus Mart., Merc., Ven. h. xii et die Iovis h. iv; 3) *privatissime collocutiones* habebit *de iure administrativo* die Merc. h. iii.

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marpurgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, quid praelecturus esset non indicavit.

BERNARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marpurgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, quid praelecturus esset non indicavit.

GERHARDUS ALEXANDER LEIST, I. U. Dr., *privatim* docebit *a*) *institutiones iuris Romani* diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. ix, *b*) *historiam iuris Romani* iisdem diebus h. x.

LUDOVICUS LASS, I. U. Dr., tribunalis regii assessor Borussicus, 1) *privatim a*) *de concursu creditorum* disseret diebus Merc. et Veneris h. iv, *b*) *de legibus imperii Germanici, quae ad assecurationem operariorum pertinent*, disseret diebus Merc. et Veneris h. v; 2) *privatissime a*) *collocutiones et exercitationes practicas de iure mercatorum et cambiali* habebit in seminario iuridico die Saturni h. ix—xi, *b*) *exercitationes practicas de iure eo, quod pertinet ad processum civilem*, moderabitur in seminario iuridico die Saturni h. iv—vi.

FRIDERICUS WACHENFELD, I. U. Dr., 1) *privatim processum criminalem imperii Germanici* docebit diebus Lun., Mart, Iov.. Ven. h. iii.

III. LECTIONES MEDICORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, praetorius militiae ad patriam defendendam evocatae medicus generalis secundi ordinis, cruce ferrea decoratus, ordinum aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco et coronae Boruss. IV. cl. eques, Saxon. Ernest. II. cl. commendator, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis* habendum offert semel p. hebd.; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* ter p. hebd. h. vi—vii et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen medicam* ab h. x et dimid. ad xii moderabitur.

HENRICUS CRAMER, med. Dr., psychiatriae P. P. O., instituti psychiatrici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordin. aquilae rubrae IV. cl. eques, ordin. Saxon. Ernest. et leonis Zaring. Badensis II. cl. commendator, 1) *publice studia practica de psychiatria forensi* binis horis moderabitur; 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur bis p. hebd. hor. v—vii.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr. et med. P. P. O., instituti physiologici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinum coronae III. cl., aquilae rubrae IV. cl. eques, leonis Zaring. Badensis II. cl. commendator, 1) *publice* offert *selecta physiologiae capita* bis per hebd. h. xii; 2) *privatim a*) *physiologiae experimentalis primam partem* quinquiens p. h. h. xi docebit, *b*) *physiologiam sensuum* tradet bis p. h. h. xii; 3) *privatissime exercitationes et investigationes* in instituto physiologico moderabitur.

FRIDERICUS AHLFELD, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O. et instituti clinici obstetricii et gynaecologici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. et Albertini Saxonici I. cl. eques et cruce Ruthen. civ. II. cl. decoratus, 1) *publice repetitorium rerum*

obstetriciarum semel per hebd. h. v instituet; 2) *privatim a) clinicen artis obstetriciae propaedeuticam* moderabitur bis per hebd. h. VIII, *b) artis obstetriciae theoriam (physiologiam graviditatis, partus et puerperii)* bis per hebd. h. IV docebit; 3) *privatissime a) operationes obstetricias* demonstrabit bis per hebd. h. IV, *b) clinicen obstetriciam* moderabitur quater per hebd. h. VIII.

FELIX MARCHAND, med. Dr., pathologiae generalis et anatomiae pathologicae P. P. O., instituti pathologico-anatomici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, cruce ferrea decoratus, ordinis medicorum h. a. decanus, 1) *publice de tumoribus* disseret die Mercurii h. XII; 2) *privatim pathologiam generalem et anatomiam pathologicam generalem* docebit diebus Mercurii, Martis, Iovis, Veneris h. XII; 3) *privatissime demonstrationes anatomico-pathologicas* moderabitur et *artem cadavera rite secandi* docebit diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. II.

AEMILIUS GASSER, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, 1) *publice* una cum Strahlio prof. et Zumsteinio Dr. *situm viscerum* docebit h. IV; 2) *privatissime exercitationes anatomicas* adiuvante Strahlio prof. et Zumsteinio Dr. moderabitur diebus senis per hebd. h. IX—XII et II—IV; 3) *privatim anatomiam systematicam* tradet quinquiens per hebd.

IOANNES MEYER, med. Dr., pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacologici director, 1) *privatim a) de intoxicationibus* disseret bis per hebd. h. V, *b) artem formulas medicas praescribendi* docebit bis per hebd. h. V; 2) *publice investigationes varii argumenti* moderabitur in laboratorio pharmacologico; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes practicas* reget semel per hebd.

ERNESTUS KUESTER, med. Dr., chirurgiae generalis et specialis P. P. O., instituti clinici chirurg. director, Augustissimo principi ab intimis rerum medicarum consiliis, praetorius militiae ad patriam defendendam evocatae medicus superior primi ordinis, cruce ferrea decoratus, aquilae rubrae IV. cl. et coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice clinicen ambulatoriam in conclavibus nosocomii aegrotorum* semel per hebd. moderabitur die Veneris h. VII—VIII p. m.; 2) *privatim aciurgiae partem secundam* docebit ter per hebd. diebus Mart., Iov., Ven.; 3) *privatissime clinicen chirurg.* moderabitur quinquiens per hebd. diebus Lun., Mart., Merc., Iovis, Ven. h. IX—X et dimid.

GUILELMUS UHTHOFF, med. Dr., ophthalmologiae P. P. O., instituti clin. ophthalmol. director, 1) *publice oculorum morbos qui corpore aegrotante incidunt* docebit semel per hebd. die Saturni h. XII; 2) *privatim a) clinicen ophthalmologicam* moderabitur ter per hebd. h. XII diebus Martis et Iovis, h. X et dimid. die Saturni, *b) cursum practicum ophthalmoscopiae* habebit ter per hebd. diebus Lun., Mercur. et Vener. h. XII.

CAROLUS FRAENKEL, med. Dr., hygienes P. P. O., instituti hygien. director, 1) *privatim hygienen* tractabit die Lun. h. V, diebus Mart. Merc. Ven. h. IV; 2) *publice repetitiones* habebit *hygienicas cum excursionibus* die Sat. h. III; 3) *investigationes* moderabitur *hygienicas* in laboratorio cottidie.

FRIDERICUS MUELLER, med. Dr. et P. P. O., instituti policlinici director, 1) *publice de methodis morborum apparatu electrico diagnoscendorum et curandorum* disseret semel hora postea definienda; 2) *privatim policlinicen medicam* reget ter h. XII diebus Lunae, Mercurii, Veneris; 3) *privatim propaedeuticen clinicam praecipue de methodis morborum diagnoscendorum* habebit quinquiens h. III.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. O. H., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis coronae III. cl. eques, scholas non habebit.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., ordinis coron. IV. cl. eques, cruce ferrea decoratus, 1) *publice theoriam partus* binis scholis docebit; 2) *privatim de morbis mulierum* binis scholis disseret.

IOANNES STRAHL, med. Dr. et P. P. E., 1) *publice situm viscerum* una cum Gassero prof. et Zumsteinio Dr. docebit; 2) *privatim a) osteologiam et syndesmologiam* diebus Iovis, Mercurii, Veneris h. XI, *b) de historia generationis atque evolutionis hominis* binis scholis disseret.

ADOLFUS BARTH, med. Dr. et P. P. E., instituti policlinici morborum auris nasopharyngis et laryngis director, 1) *publice morborum auris capita selecta* semel per hebd.; 2) *privatim clinicen morborum auris, nasi et laryngis* bis per hebd. tractabit; 3) *privatissime exercitationes* in instituto instituet.

FRANCISCUS TUCZEK, med. Dr. et P. P. E., 1) *publice de vesaniae natura* disseret die Martis h. III; 2) *privatim psychiatriam propaedeuticam* tractabit die Saturni h. II—IV.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

VICTOR HUETER, med. Dr. et P. P. O. H., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *gratis examinatorium et repetitorium de rebus obstetriciis* semel instituet; 2) *privatim operationes practicas in arte obstetricia* bis demonstrabit.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr. et P. P. O. H., 1) *privatim de morbis infantium* disseret ternis scholis h. VIII—IX mat.; 2) *privatim medicinam forensem* docebit eos, qui iurisprudentiae operam dant.

OTTO ERNESTUS DE BUENGNER, med. Dr., 1) *publice de morbis colli rhirurgicis* semel per hebd. die Veneris h. VI disseret; 2) *privatim chirurgiam genecalem* docebit diebus Martis et Iovis h. II; 3) *privatissime cursum practicum de usu fasciarum chirurgicarum* instituet die Saturni h. IV et dimid.

IOANNES IACOBUS ZUMSTEIN, med. Dr., 1) *publice situm viscerum* una cum Gassero et Strahlio proff. docebit; 2) *privatim splanchnologiam* semel per hebd. docebit.

GUILELMUS SANDMEYER, med. Dr., 1) *privatim physiologiam respirationis* docebit semel per hebd.; 2) *privatissime exercitationes physiologicas* in usum tironum diebus Lun. et Saturni h. IX—XI diriget; 3) ad colloquia privatissima se offert.

IULIUS WITZEL, instituti odontiatrici director, *privatim a) clinicen odontiatricam cum dentium et extrahendorum et plumbandorum exercitationibus* moderabitur quinqiens per hebd. h. X—XII, *b) cursum odontiatricum technico-practicum* instituet quinqiens per hebd. X—XII, III—V, *c) cursum odontiatricum practicum* medicinae studiosis offert, *d) pathologiam et therapiam morborum dentium et oris* bis per hebd. docebit.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

IOANNES CAROLUS GLASER, phil. Dr., scient. polit. et cam. P. P. O., 1) *publice Aristotelis doctrinam politicam* delineabit semel per hebd. die Merc. h. IX; 2) *privatim oeconomiae politicae partem secundam* tradet quater per hebd. die Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

FRANCISCUS AEMIL. MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., instituti mathematico-physici director, Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice elementa astronomiae* leget die Mart. h. XI, 2) *privatissime* et *gratis repetitorium et examinatorium de rebus physices experimentalis* instituet die Sat. h. VIII; 3) *privatissime exercitationes physicas practicas* una cum Feussnero prof. moderabitur h. II–V quaternis diebus; 4) *privatim physices experimentalis secundam partem ad phaenomena magnetismi, electricitatis atque calorem spectantem* leget h. VIII quinquiens.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammatices comparatae et philologiae Teutonicae P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice interpretationes Persicas* moderabitur diebus Martis et Veneris h. VIII; 2) *privatim de vocum Indogermanicarum formatione ac flexura* disseret quinquiens h. XII; 3) *privatissime* et *gratis linguam Sanscritam* docebit dieb. Lunae et Iovis h. VIII.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, philos. Dr. et P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur; 2) *privatim historiam philosophiae* tradet quater per hebd. h. V.

RICARDUS GREEFF, med. et phil. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, Christi ordinis Lusitanici cum stella commendator, 1) *publice parasitorum imprimis hominis historiam naturalem* tractabit semel die Lunae h. VI; 2) *privatim zoologiam et anatomiam comparatam* docebit quinquiens dd. Lun. Mart. Merc. h. V, Iov. V VII.

EDMUNDUS STENGEL, phil. Dr., linguarum et litterarum recent. P. P. O., seminarii Romanico-Anglici director, 1) *publice exercitationes seminarii Romanico-Anglici* una cum Friderico Klincksieck, phil. doctore et linguae Franco-Gallicae lectore, moderabitur quater per hebd. h. XI; 2) *privatim historiam linguarum Romanicarum* tradet quinquiens h. X.

MAXIMILIANUS BAUER, phil. Dr., mineralogiae et petrographiae P. P. O., instituti mineralogici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, academiae h. t. rector, 1) *privatim mineralogiam cum crystallographia* tradet quinquiens per hebd. diebus Lunae ad Veneris h. X; 2) *publice exercitationes crystallographicas* die Veneris h. XI; 3) *privatissime exercitationes microchemicas* habebit die Lunae II—IV.

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice repetitorium de chemia anorganica et organica* instituet semel per hebd.; 2) *privatim a) chemiae experimentalis partem secundam, i. e. chemiam organicam* tradet quienquiens h. IX, *b) exercitationes practicas in laboratorio chemico* cottidie ab h. VIII ad h. V.

HERMANNUS COHEN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *privatim Kantii systema* tradet quater per hebd.; 2) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur binis h. p. hebd.

THEOBALDUS FISCHER, phil. Dr., geographiae P. P. O., coronae Italicae ordinis centurio, 1) *privatim geographiam Asiae* tractabit quater per hebd. h. XII; 2) *privatissime exercitationes chartographicas* perget die Mercurii h. III; 3) *privatissime exercitationes physico-geographicas* moderari perget die Iovis h. VI.

HERMANNUS PAASCHE, phil. Dr., scient. polit. P. P. O., 1) *privatim oeconomiae politicae partem secundam* tradet quater per hebd. h. V, 2) *privatissime* et *gratis exercitationes oeconomo-politicas* moderari perget bis p. hebd.

GOSWINUS BARO A ROPP, phil. Dr., historiae P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice exercitationes* seminarii historici moderabitur die Martis h. VI; 2) *privatim a) historiam aevi nostri inde ab anno 1850* diebus Lunae et Iovis h. IV, *b) historiam civitatum Germanicarum* diebus Martis et Veneris h. IV enarrabit.

BENEDICTUS NIESE, phil. Dr., historiae antiquae et philologiae P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice* seminarii historici *exercitationibus* praeerit die Merc. h. VI—VIII; 2) *privatim a) res Romanas* enarrabit ternis p. h. diebus h. VIII, *b) res Graecorum inde ab Athenis captis (anno a. Chr. 404) gestas* enarrabit binis per hebd. scholis h. VIII; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes historicas* domi habebit hora constituenda.

ERNESTUS SCHMIDT, phil. Dr., chemiae pharmac. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, 1) *publice a) de venenis anorganicis inquirendis* disseret die Veneris h. IV, *b) rationes explorationis medicamentorum* docebit die Sat. h. IX; 2) *privatim chemiae experimentalis partem alteram* docebit quinquiens per hebd. h. IX; 3) *privatissime exercitationes practicas* in laboratorio pharmceutico-chemico moderabitur cottidie.

FRID. HENR. EMANUEL KAYSER, phil. Dr., geologiae P. P. O., instituti geologici palaeontologici director, philosophorum ordinis h. a. decanus, 1) *privatim animalium evertebratorum inarticulatorum palaeontologiam* leget dieb. Iov. Ven. Sat. h XI; 2) *publice de terrae genesi geologica* disseret die Veneris h. II; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes palaeontologicas* instituet horis postmodo definiendis.

THEODORUS BIRT, phil. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* in seminario philologo *Claudianum* interpretandum proponet, reliquas *exercitationes* adiunget diebus Lunae et Iovis h. VII; 2) *privatim a) Plauti Gloriosum* interpretabitur ternis scholis h. IX, *b) syntaxin Latinam* tradet ternis scholis h. IX, *c) artis metricae Graecorum Romanorum elementa* explicabit semel per hebd.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., P. P. O., 1) *publice exercitationes archaeologicas* moderabitur die Lunae h. XI, 2) *privatim historiam artis antiquae* tradet diebus Martis Iovis Veneris h. XI.

MAXIMILIANUS LEHMANN, phil. Dr., historiae P. P. O., regiae scientiarum academiae sodalis, seminarii historici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes* seminarii historici moderabitur die Veneris h. VI; 2) *privatim historiam populi Teutonici, ratione imprimis habita rerum Borussicarum,* enarrabit diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris h. X.

EDUARDUS SCHROEDER, phil. Dr., Theodiscarum linguarum et litterarum P. P. O., seminarii Germanici director, 1) *privatim a) grammaticam Theodiscam* docebit quater

p. hebd. h. XII, *b*) in *linguam litterasque Saxonicas* introducet et *librum cui inscribitur ‚Heliand'* interpretabitur bis p. hebd. h. VIII; 2) *publice* in seminario Germanico *a*) sodalibus *carmen de rege Rothero* emendandum proponet d. Merc. h. XI, *b*) tironum *exercitationes grammaticas* moderabitur d. Merc. h. XII.

GEORGIUS WISSOWA, phil. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* seminarii philologi sodalibus *Xenophontis qui fertur libellum de republica Atheniensium* explicandam proponet et reliquas *exercitationes* adiunget diebus Lunae et Iovis h. VI; 2) *privatim a*) *litterarum Graecarum usque ad Alexandri Magni tempora historiam* enarrabit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. X; *b*) praefatus *de compositione tragoediae veteris cantica Sophoclea selecta* interpretabitur die Mercurii h. X et die Veneris h. XI.

ARTHURUS MEYER, philos. Dr. et botanices pharmacognosiaeque P. P. O., horti botanici et instituti botanici pharmacognosticique director, 1) *publice colloquium botanicum* instituet semel per hebd.; 2) *privatim a*) *pharmacognosiam* tradet ter per hebd., *b*) *exercitationes microscopicas* moderabitur semel per hebd. h. II—VI; 3) *privatissime disquisitiones botanicas* in laboratorio botanico moderabitur cottidie.

FRIDERICUS SCHOTTKY, phil. Dr., matheseos P. P. O., 1) *publice* seminarii mathematici *exercitationibus* praeerit; 2) *privatim a*) *de aequationibus algebraicis* disseret quaternis p. h. scholis, *b*) *doctrinam functionum ellipticarum* tradet quaternis p. h. scholis.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINIARIORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice de sectionibus conicis* disseret bis p. h. hora postea definienda; 2) *privatim institutiones calculi infinitesimalis* leget sexiens p. h. h. XII; 3) *privatissime exercitationes ad calculum infinitesimalem spectantes* semel p. h. moderabitur.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice* seminarii mathematici *exercitationes* moderabitur d. Merc. h. VI—VIII; 2) *privatim a*) *geometriam et analytice et synthetice* tractabit quinis p. h. scholis h. XI, *b*) in *functionum theoriam* introducet ter p. h. h. X.

GUILELMUS FEUSSNER, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice elementa optices crystallorum* tractabit semel per hebd. h. IX; 2) *privatim mechanicen analyticam* docebit quinquiens h. VIII; 3) *de exercitationibus physicis privatissime* moderandis conf. quae Melde prof. indixit.

GUILELMUS VIETOR, phil. Dr., philologiae Anglicae P. P. E., seminarii Romanico-Anglici director, 1) *publice exercitationes* seminarii Romanico-Anglici moderabitur bis per hebd. h. XI; 2) *privatim a*) *Anglorum artem metricam* explicabit bis per hebd. h. IX, *b*) praefatus *de Chauceri vita et operibus fabulas Cantuarienses* interpretabitur bis per hebd. h. IX.

FRIDERICUS BERNARDUS FITTICA, phil. Dr., chemiae P. P. E., 1) *publice chemiae historiae partem primam* semel p. hebd. enarrabit; 2) *privatim a*) *rei chemicae partis I (chemiae organicae) capita selecta* studiosis instituti odontriatici bis per hedd. explicabit, *b*) *chemiam toxicologicam* bis docebit.

PAULUS NATORP, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice exercitationibus philosophicis Aristotelis libros qui sunt De anima* interpretandos proponet semel per hebd. horis binis; 2) *privatim a*) *psychologiam* tractabit die Merc. h. IV, diebus Iovis Veneris h. III, *b*) *historiam paedagogiae recentioris* tradet diebus Lun. Mart. Merc. h. III.

FRIDERICUS GEORGIUS KOHL, phil. Dr., bot. P. P. E., 1) *privatim fungorum et algarum historiam naturalem* tradet bis per hebd.: 2) *theoriam Darwini* illustrabit semel per hebd.

ADOLPHUS ELSAS, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice de electricitate in lychnorum usum adhibenda* disseret semel per hebd. h. V; 2) *privatim a*) *theoriam et usum functionum Besselianarum* bis docebit h. X; *b*) *theoriam mechanicam caloris* tradet binis scholis h. X.

ALBERTUS KOESTER, phil. Dr., rec. litterarum linguaeque Theodiscarum P. P. E., 1) *privatim* praefatus *de fabula et compositione Fausti tragoediam Goethianam* interpretabitur ter p. hebd. h. XI; 2) *publice* in seminario Germanico *Lessingii libri cui inscribitur Dramaturgia Hamburgensis selecta capita nec non Goetzium de Berlichingen tragoediam Goethianam* sodalibus tractanda proponet d. Sat. h. XI—I.

GUILELMUS SCHULZE, phil. Dr., philologiae P. P. E., 1) *privatim Atticae dialecti grammaticam (phonologiam flexuram)* tradet ternis diebus h. XI; 2) *publice* in proseminario philologo *Lycurgi Leocrateam* interpretabitur reliquis *exercitationibus adiunctis* diebus Lunae et Iovis h. VII.

PETRUS IENSEN, phil. Dr., litterarum orientalium P. P. E., *a*) *linguam Arabicam* docebit ter p. h., *b*) *linguam Syricam* bis p. h., *c*) *Assyrica Babylonica et his affinia* tradet quinquiens p. h.

BERNARDUS RATHKE, phil. Dr., P. P. E. Halensis, lectiones intermittet.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

CAROLUS WENCK, phil. Dr., 1) *privatim res quae in Germania gestae sunt regnante Magno Electore primisque Borussorum regibus inde ab anno 1648 usque ad annum 1740* tradet diebus Martis et Veneris h. IX; 2) *privatissime* et *gratis exercitationes historicas* moderabitur semel per hebd.

IOANNES STOSCH, phil. Dr., *privatim carmen saeculi XIII quod inscribitur ‚Meier Helmbrecht'* interpretabitur praefatus *de arte metrica eiusdem aetatis* ter p. h.

GUILELMUS ROSER, phil. Dr., 1) *gratis de alcaloidis* disseret semel p. hebd.; 2) *privatim chemiam benzolii* tractabit ter p. h.

REINHARDUS BRAUNS, phil. Dr., 1) *crystallos delineandos proiciendos computandos* proponet bis per hebd.; 2) *de lapidibus pretiosis* semel disseret per hebd.; 3) *repetitorium de rebus mineralogicis* habebit semel per hebd.

LUDOVICUS PLATE, phil. Dr., *privatim zoologiae elementa* tradet quinquiens per hebd.

EDUARDUS STUDY, phil. Dr., *theoriam formarum algebraicarum invariantivarum* tractare perget.

WOLFGANGUS DE OETTINGEN, phil. Dr., 1) *privatim Italorum picturam* illustrabit Lunae, Mercurii, Veneris diebus h. XII; 2) *gratis Batavorum artem quomodo inde ab anno millesimo quadringentesimo* extiterit exponet Mercurii die h. IV; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes ad artium historiam pertinentes* offert semel p. h.

PAULUS KEHR, phil. Dr., 1) *privatim* a) *Historiam Germaniae quae pertinet inde ab anno 962 usque ad annum 1197* d. Mart. et Ven. h. XI, b) *geographiam historicam Germaniae* docebit d. Lun. et Iov. h. XI; 2) *privatissime* et *gratis* *exercitationes diplomaticas* moderabitur die Sat. h. XI.

GUALTHERUS IUDEICH, phil. Dr., 1) *privatim imperii Romani labentis et intereuntis historiam inde a Marco Aurelio imperatore usque ad Iustiniani tempora* enarrabit d. Mart. Iov. Ven. h. V; 2) *privatissime* et *gratis exercitationes historicas de Solonis Pisistratidarumque aetate* moderabitur binis scholis per hebd.

FERDINANDUS WREDE, phil. Dr., *privatim litterarum Theodiscarum inde ab XII. usque in XIII. saec. historiam* tradet bis p. hebd. h. III.

FRIDERICUS GUILELMUS KUESTER, phil. Dr., *privatim* a) *de methodis analyticis, praecipue de peculiaribus in casibus applicandis* disseret ter per hebd., b) *repetitorium et examinatorium de chemia universa, anorganica et analytica* habebit ter per hebd.

ALBRECHTUS DIETERICH, phil. Dr., 1) *privatim mythologiam Graecam* docebit ter per hebd. h. XI; 2) *privatissime* et *gratis scholas philologas* instituet semel per hebd.

FRIDERICUS KLINCKSIECK, phil. Dr., linguae Franco-Gallicae lector, in seminario Romanico-Anglico *exercitationes linguae Franco-Gallicae recentioris* instituet.

GUALTHERIUS E. HARLOCK, linguae Anglicae lector, *privatissime* et *gratis* *exercitationes Anglice loquendi et scribendi* instituet bis per hebd.

RICARDUS BARTH, professor, concentuum musicorum director, *artem harmonicam* tradet binis scholis gratis. Idem instrumentorum musicorum tractandorum cantandique scholas et exercitationes offert.

FR. SCHUERMANN, 1) *delineandi et pingendi artem* docebit scholis quaternis per hebd.; 2) *gratis* a) *doctrinam proiectionum et geometriam descriptivam* tradet semel per hebd., b) *delineandi ad naturam rerum exercitationibus* praeerit semel per hebd.

Nec minus praesto sunt, qui equitandi artem et armorum tractationem doceant.